Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8496
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



67

℣ Deus meus clamabo per diem nec
exaudies et nocte et non ad insipientiam mihi ℣ Tu autem in sancto habitas
laus israel ℣ In te speraverunt patres nostri
speraverunt et liberasti eos ℣ Ad te clamaverunt et salvi facti sunt in te speraverunt
et non sunt confusi ℣ Ego autem sum vermis
et non homo opprobrium hominum et abiectio
de plebis ℣ Omnes qui videbant
me aspernabantur me locuti sunt
labiis et moverunt caput ℣ Speravit in domino eripiat eum salvum faciat
eum quoniam vult eum ℣ Ipsi autem considerantes
et aspicientes me diviserunt
sibi vestimenta mea et super vestem
meam miserunt sortem ℣ Libera
me de ore leonis et a cornibus
unicornium humilitatem meam ℣ Qui
timetis dominum laudate eum universe
semen iacob magnificate eum
℣ Annunciabitur domino generatio ventura
et annunciabunt celi iustitiam eius.
℣ Populo qui nascetur quem fecit
dominus. **Passio d.n.i.x.s. secundum matheum**

Illo tempore dixerunt iesus discipulis suis. Scitis quia post biduum pascha fiet et filius hominis tradetur ut crucifigatur. Tunc congregati sunt principes sacerdotum et seniores populi in atrium principis sacerdotum qui dicebatur caiphas et consilium fecerunt ut ihesum dolo tenerent et occiderent. Dicebant autem non in die festo ne forte tumultus fieret in populo. Cum autem esset ihesus in bethania in domo simonis leprosi accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi et effudit super caput ipsius recumbentis. Videntes autem discipuli indignati sunt dicentes. Ut quid perditio hec. Potest enim istud venundari multo et dari pauperibus. Sciens autem ihesus ait illis. Quid molesti estis huic mulieri. Opus enim bonum operata est in me. Nam semper pauperes habetis vobiscum. me autem non semper habetis. Mittens enim hec unguentum hoc corpus meum ad sepeliendum me fecit. Amen dico vobis ubicumque predicatum fuerit hoc evangelium in toto mundo dicetur et quod hec fecit in memoriam eius. Tunc abiit unus de duodecim qui dicebatur iudas scariothis ad principes sacerdotum et ait illis. Quid vultis mihi dare et ego vobis eum tradam. At illi statuerunt ei triginta argenteos. Et exinde quaerebat opportunitatem ut eum traderet. Prima autem